QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. DECEMBRIS,

M. FRANCISCO LE VIGNON, Doctore Medico, moderatore.

An à Temperie Ingenium?

833

MISERA hominum conditio, sua sorte nemo contentus viuit, quos eligit Minerua, Martis tenet desiderium: suum quisque noscat ingenium, frustrà viribus illius inconsultis aliquid suscipitur: non omnis fert omnia tellus: si repugnet natura κατὰ πάντα, rarò enim illius malignitas labore vincitur, scire vis an reluctetur, teipsum intuêre, non desunt notæ, quibus animi videas indolem, corpus sequitur: nec aliunde quàm ex illius habitu vis eius manat, si laudabilis, sub illo mens præclara delitescit: non enim pendet ab anima, quæ cum vniformis paria non diuersa proderet ingenia; hæc licet actionum omnium origo sit, ad obeundas functiones certam requirit temperiem, quæ quò magis exquisita eò fœliciùs agit, suáque obit munia; verùm humorum mixtione varia fit temperies, ex qua tamen exurgit alicuius victoria.

HVMANA mens miris modis à tẽperamento mutatur, hinc ad scientiarum studia magis minúsue valemus; vel ad expedienda negotia paratiores aut tardiores sumus; hinc ipsa anima in vno homine multiplices edit actiones. Verùm quinam beatiori temperamento præditi, & studiis aptiori? an pituitosi? sensu obtusi: an biliosi? acutiores, sed leuitate laborant: an sanguinei? delitescit sub hoc humore expedita mentis agitatio, si alio temperetur, alioquin hebetes: melancholicos volumus cum is humor constantiæ, & integritatis animi sit parens. An sola temperies ad ingenium facit? minimè, sed & legitima præcipuarum partium conformatio, & præsertim cerebri: turpes animi turpia incolunt corpora, nec ex deformi corpusculo formosus animus, ac magnus exire potest: paruo capite præditi minùs probantur: crasso & carnoso stolidi: mihi crede rarò euenit vt sub speciosi corporis tegmine vilis delitescat animus.

GAVDEANT benè nati parentibus scientiâ præditis, fœlici sub sydere, benigno solo: at docti indoctos procreant, & sub quouis sydere, aut solo stolidos reperire est; quid mirum? malorum ac morborum sæpè, non tamen semper paternæ virtutis hæredes sumus, praua viuendi ratio innatam mutat temperiem & ex laudabili noxiam facit, hinc licet benignum afflarit sydus, vel nitente fruaris solo, si multo alimento ventrem sagines, non modò corpori noxam, sed & animo adferes, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον: qui vino sese ingurgitant, dum infirmum & debile, necnon multis obnoxium morbis corpus reddunt, mentis obtundunt aciem: sanam vis habere mentem? esto sanus corpore: sanitatis consilium quæris? σιτία, ποτά, ὕπνοι ἀφροδίσια, πάντα μέτρια hoc si non placeat, breuiùs audi, ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων.

SPIRITVS humorum naturam redolent, præcipua animæ instrumenta, hi quò puriores & ab omni illuuie defœcatiores eò laudabiliores: influens, quem pro triplici facultate triplicem statuimus, insitum à naturâ singulis partibus fouet ac reficit, in obeundis functionibus, sed præsertim cerebri, plurimi est momenti, cùm enim in eo facultas animalis resideat, per neruos transmissus sensum motumque perficit, & in illius ventriculis ritè elaboratus functiones exercet principes, quas sedibus haud distinctas asserimus, licet vna, illæsis aliis, lædi possit, quò fit vt phantasia quantò mollius & calidius cerebrum, tantò fit præstantior: quò temperatior cerebri substantia eò fœlicior memoria: hinc pueros, senes immemores dicimus, necnon qui acuto aut tardo sunt ingenio, acutum siquidem ingenium rarò fœlix comitatur memoria.

SCIENTIA opibus præstantior, calamitatum omnium portus est, eâ præditus ab indocto quâ viuus à mortuo differt, verùm non omnibus adire Corynthum licet, qui naturam benè fauentem & propitiam habet, si non iuuet, oleum perdit, hæc vt otio torpet, sic assiduo labore frangitur, animis danda remissio, quieti acriores melioresque surgunt; & vt plantæ aquâ mediocri reficiuntur, suffocantur immodicâ, sic animus moderatis laboribus iuuatur, obruitur immodicis; fertilibus agris haud semper imperandum, exhauriret illos nunquam intermissa fœcunditas: in eum finem somnus à naturâ datus, cum multa fiat per labores & vigilias, corporis necnon animi, viriũ & spirituum dissipatio, licet enim qui docti nomen quærit ὀλοπονὸς esse debeat, quieti dandum est tempus aliquod, vt vigiliâ siccatum cerebrum humectetur. Quid autem libris insudare opus est, si ingenio non valeas? aut si vales, eo dùm potes, vtere, mutationi obnoxium est.

Ergo à Temperie Ingenium.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS PAIOT, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Mathurinus Denyau.
M. Franciscus le Vignon Præses.
M. Petrus Legier.

M. Ioannes Chartier.
M. Ioannes Pietre.
M. Petrus Yon.

M. Franciscus Pijart.
M. Nicolaus Regnier.
M. Ioannes de Bourges.